

Iudæam erat missus. Matth. 8, 5. Luc. 7, 2. Divus Petrus Cornelium Centurionem, jam conversum non jubet jurisdictionem illam Romanam abjicere, Act. 10, 1. Quemadmodum nec Paulus Proconsulem damnat. Act. 13, 7. Quin ipse etiam Paulus jure Romano utitur, civitatis scilicet Romanæ, & provocationis sive appellationis ad Cæsarem. Act. 16, 37. & cap. 25, 11.

37. Huc accedit & illud, quòd Leges Imperatorie & Ius Romanum, Iuri divino non est contrarium: ac proinde res externa, qua, vi libertatis Christianæ sive Evangelicæ, liberè uti liceat: ita, ut quemadmodum liberum per se est Ius Romanum, quia æquum: Ita propter Magistratum auctoritatem & consensum, obedire ei Christianos deceat.

38. Neque verò interim negamus, licere Magistratui ex Iure Mosaico ad suas politias liberè, quæ velit, transferre: quæ nimirum cum lege naturæ ac Decalogi congruunt: ita tamen, ut absit & opinio necessitatis atque cultus, & singulorum locorum, temporum atque ingeniorum varietati genus illud legis attemperetur, non ipsa species, si diversa sit & non congruat, urgeatur,

39. Quarta species est supplicia constituere in fontes, & id quidem jure, nempe secundum præscriptum legum,

40. Confirmat hanc speciem Apostolus, Magistratum non frustra gladium gestare, imo ab eodem

dem